

270  
214

V I R O  
Plurimum Reverendo, Clarissimo atque Doctissimo,  
D O M I N O

# S A M U E L I SCHOENWALDIO,

Ecclesiastæ ad aedem S. S. Trinit. apud Thorunienses  
longe meritissimo,  
Tenerimum ac amantissimum

FILIOLUM,

# M A R T I N U M THEOPHILVM,

A. CICCI

d. XXIII. Jul. natum,

d. X. Oct. Eiusd. Anni,

praematura ac subita morte  
creptum,

lugenti

et affectionis

i. m. q.

Contestari volebant

Gymnas. Thorun.

RECTOR PROFESS. ac VISIT.

---

THORUNII,

Impressit JOANNES LUD. NICOLAI, NOB. SENATUS ET GYMNAS.  
TYPOGRAPHUS.

**U**t fragor ingenti sonitu devolvitur atris  
Nubibus erumpens, ac sine more furit.  
Moliturque levi culmo violisque ruinam  
Vertice deiecto ac abripit omne decus:  
Sic fragiles annos subito pulchramque iuventam  
Disperdit dirae pestifera aura necis.  
Iucundus teneri dum flos adoleverat aevi,  
Rugosus carie decidit atque perit.  
At felix, qui quis transit sic flore virenti,  
Nimbos ac pestes porro timere nequit.  
Ergo beate puer! de terrae vallibus imis  
Ad sedes tendis iam Paradisiacas.  
Interea nemus id, quo flos & planta revulsa  
Ut maneat pulchrum floribus usque virens:  
Utque nova plane, dispulsis imbris atris,  
Gratum luce micet, iam redeunte, precor!

Optimo Parenti iacturam sobolis iucun-  
dissimae lugenti amicitiae fidem atque  
affectionem approbatus, haec scr.

M. Petrus Iaenichius, R.

**S**i DEus inter nos, cur nobis accidit istud?  
Quærebatur Gideon Duxque Paterque probus. Jud. VI. 1.  
Cum Midianitæ vastarent germina terræ  
Israel, damnis opprimerentque solum.  
Quid dices, Dilecte Deo? cum funera defles  
Filioli: lacrymis ora genasque rigas.  
Tu sicut Gideon fortis fortissima bellas  
Bella DEi, veræ Religionis amans.  
Si DEus inter nos, mihi cur mors abstulit atra  
Filiolum, thalami pignora chara mei?  
Undique me luctus circumvallavit amarus:  
Atque dolor tacito vulnere corda ferit.  
Vastavit morti Patris, Matrisque dolendæ  
Germen: concussit flebile pectus Avi.

Hac

*Sic*

Hæc quamvis quereris, perquam Reverende Sacerdos,  
Attamen haut lacrymis ora rigare jurat.

Nam frustra quereris, nequeunt ablata reponi.

Despicithumanas ferrea Parca preces.

Filiolus mundi spatiis sublimior annos

Calcat, & æterna lege beatus agit.

Evagor ulterius. Si Reges atque Monarchæ

Dii sunt terrestres, ut sacra verba docent. Exod. XXII. 28.  
P. XXXIII. 5. 6.

Filiolus nondum potuit succumbere morti,

Et tempestivæ subdere colla neci.

Namque DEos inter Magnos, Natosque DEorum

Transigimus nostros spe meliore dies.

Proh Superi! quanti vultus, quæ sidera Prussos

Irradiant? quantis ignibus arva micant?

Anne Borussiacas repetunt cœlestia terras

Numina? quæ toto pectore Musa colit.

Nunquam Moscoviaæ Magnus Dux atque Monarcha

Lumine jucundo viserat hocce solum.

Et quæ temperies? quod nostris lucet in oris

Sidus? cum Princeps vivit in urbe novus.

Nec tamen Heroas tantos mors tetra veretur

Sed sævo Patris demetit ense decus.

Fer patienter onus, Genitor mœstissime, redde

Quod Domini est Domino, qui bene cuncta facit.

Quem dederat prius, hunc repetit, concessa Parenti

Poscit inoffenso pignora jure DEUS:

Debitor es. Natum cum reddis, nomina solvis,

Quique tuus fuerat, plus erat ille DEI.

Minuendi doloris E. deprop.

M. Martinus Bohm.

**G**audia percipiunt sanè non parva Parentes,  
Conjugii quando pignora chara vident.  
Non minor ast patrum scindit præcordia moror,  
Ex cunis urnam pignora quando petunt.

Acaj

Accidit ut multis aliis Schœnwaldio utrumque  
Claro ut doctrina sic pietate Viro:  
Qui latus genitum suscepit filium in ulnas;  
Ast nunc denatum prosequitur lacrulis.  
Illa suo tamen in tristi solatia casu  
Admittet, mœstis quæ solet ipse dare.  
Filiolum quoniam scit tot tantisque periclis  
Præceptum tutò vivere in arce poli:  
Satque diu vixisse, tenus quod crimine quovis  
Ejus in hoc mundo vita peracta fuit.  
Interea precor, ut Gnatus solaminis instar,  
Qui superest, maneat sospes in orbe diu,  
Et fratres totidem, tristis quo vidit in urna,  
In cunis latus porrò videre queat;  
Neve Pater numero completo sentiat olim,  
Ac doleat thalami damna tulisse sui.

Tantum l. scr.

M. Martinus Bertleffius P. P.

**A**d lacrymas Te nunc profusas aspera Fati  
Jura vocaverunt, Vir Reverende, Tui.  
Nam cernit quivis, quantum tua pectora, charo  
Nunc Tibi præcepto pignore, vulnus habent.  
Infans interiit vix usus luminis auris,  
Jam non ulterius blandula labra movens.  
Per breve præteriit tempus, cum Numen ab alto  
Æthere concessit gaudia grata Tibi:  
Ut pote tale dedit pignus, quod surculus esset  
Stemmatis egregius, Vir Reverende, Tui.  
Omnia nunc verò mors atris intulit umbris  
Admiscens tetræ frigida membra, scrobi.  
Heu breve vivendi spatium, fugiens quoque vita!  
Lætitia heu brevis, & non diuturna simul!  
Quid verò prodest cumbam pulsare querela?  
Defuncti manes lädere, parce pios.  
Pectoris infracti, sodes, nunc exere vires:  
Quidque decet sanctum, mente revolve, Virum.  
Poscit id infans jam stellantem vectus in aulam  
Adspectu fruitur dum propiore Dei:  
Scilicet elatus curis vitæque periclis  
Cœlicolum tempe lustrat ovante pede;  
Ac sordes terræ puro mutavit olymbo  
Laurigerò nitidum cinctus honore caput.

Lugens deproper.

Martinus Schulz/  
Moderat. Lud. Neop.

